



171

1.

86

2. 9

1

341

2

171

1.

6

171

1.

171

2

1482.  
589.

DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE  
**FELONIA**  
**DOMINI,**

*Quam*

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,  
AUTORITATE ET CONSENSU  
Amplissimi JCtorum Ordinis  
IN PERANTIQUA ET ILLUSTRISSIMA EBERHARDINA,

*Praside*

**DN. GABRIELE SCHWEDERO,**

J. U. D. Sacri Cæsarei Palatii Comite, Serenissimi

Würtemb, Ducis Consiliario, Placitorum Feudalium &  
Juris publici Antecessore & Professore  
Ordinario,

Domino Patrono & Socero, omni honoris & obsequii  
cultu venerando.

P R O

SUMMIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS  
in utroque jure ritè consequendis,

*ad d. Maji,*

IN AULA NOVA,  
Publicæ Eruditorum disquisitioni  
submitit

**PAULUS BURCKHARD HOSER, Stotg.**

*T U B I N G E,*  
Typis JOH. CUNRADI REISI.





Xantlatis feliciter Divini Numinis Gra-  
tia consuetis iis subeundis Examinibus,  
qui ad summos in utroque jure adspirant  
honores , ac impetratā ab Amplissimo  
JCTorum Ordine licentiā conscribendi  
Disputationem Inauguralem , non diu  
hæstavi, quodnam potissimum feligerem  
Argumentum illi aptum, mox enim mentem subiit Thema  
à Perillustri Domino NICOLAO CHRISTOPHORO  
S. R. I. Lib. Barone de LYNCKER , Equestris Ordinis  
Rhenani Immediato, Hereditario Flurstetti & Ketschau ,  
Augustissimi Imperatoris Consiliario Aulico Splendidissi-  
mo, Mæcenate ac Patrono Maximo ad cineres usque Ve-  
nerando, Vicennæ mihi commendatum, deFELONIA nem-  
pe DOMINI . Animus igitur illico induxi materiam  
istam plenius excutere, eoque luentius hoc fecisse, quo  
argumentum hoc eam Jurisprudentiae contingat partem ,  
quā Respublica tantò minus carere potest, quanto majus  
ei periculum ex controversiis feudalibus indecisis accre-  
scere potest, quippe quibus non de stillicidio, non de glan-  
de legenda, aut de cloaca Titii aut Mevii, sed de Regnis ,  
Ducatibus, Principatibus, Comitatibus aliisque rebus sum-  
mi sæpe pretii in feudum concessis agitur, cuius proinde di-  
gnitas ex objecti dignitate se satis superque prodit, sed quia  
id hac vice exequi temporis ratio & ingenii imbecillitas non  
permisit positiones quasdam saltem exinde proponam.  
Tu autem ô Summe & Sancte DEUS, gratia tua mihi lar-  
giter affilste, ut faustum sit initium, felix medium , & pro-

sperrimus finis, omniaque, quæ Te Duce ac Rectore propositurus sum, juri sint consentanea, studiisque meis profutura:

## I.

**D**E EELONIA DOMINI itaque acturi paucis notamus, vocem Longobardicam FELONIÆ ab aliis à verbo fallere deduci, & hinc Fallo-niam vocari; alii originem ejus à græco Φίλανθροι seu φίλανθροι, quod fraudem, imposturam, deceptionem, improbitatem, culpam significat, derivant; alii probabilius à Germanorum fehlen/ quod est errare, delinquare, dolo vel culpa contra officium agere; vel à verbo fallen/ labi, nonnulli quoque à vocabulo Fälligkeit/ quod caducitatem denotat, deducunt. vid. Spiegel. Calvin. in Lexic. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. XV. aph. 8. Eyben. Elec̄t. Jur. Feud. cap. 2. in corollar. & Feloniam quidem tam Dominus, quam Vafal-lus committere dicitur, quoties dolo vel culpa contra mu-tuam, quam ipsi sibi invicem debent, fidem ac officium agit , wann der Lehen- Herr oder der Lehen- Mann die Treue bricht / die einer dem andern zu erweisen schuldig ist. vid. Jus Feud. Alemann. cap. 69. 2. F. 6. 2. F. 26. §. Domi-no. 2. F. 47. qui textus cardinales sunt, in quibus de hoc the-mate nostro principaliter agitur in Jure feudali Longobar-dico, Corpori Juris nostri ab Hugolino dela Fontana JCro Bononiensi Seculo XII. adjuncto, quod in vim Juris com-munis in causis feudalibus in Germania nostra deinde Se-culo XV. unà cum Jure Civili in causis civilibus, receptum, & ut tale allegatur, atque in controversiis feudalibus deci-dendis in inclito Judicio Aulico ac Camerali Præsides & Assessores respicere jubentur, in Kayserl. Landfrid. de Anno 1548. tit. 3. §. 2. Recess. Erfurt. de A. 1567. § 30. Capitulat. Leopold. art. 4. art. 30. art. 39. Capitul. Joseph. art. 4. art.

29. art. 38 Carolo VI. art. 11. art. 26. Ordinat. Camer. P. r.  
tit. 57. verb. des Reichs gemeine Rechten. Ordinat. Judic.  
Aul. tit. 7. §. 21. voc. gemeine beschriebene Rechten/ qua  
ratione nullum aliud jus, quoconque veniat nomine, un  
quam in tota Germania nostra in vim Juris Communis re  
ceptum fuisse, nobis constat.

## II.

Num autem vocabulum Feloniæ & quæ proprie perso  
næ Domini fidei suæ & officio contravenientis applice  
tur, atque Vasallo fidem suam vasalliticam violanti, an ve  
rò in persona Domini saltim impropriè & abusivè usurpe  
tur? non frustra quæsiveris; Et non minus propriè illi,  
quam huic applicari existimamus, quamvis enim contra  
rium colligi posse videatur ex verbis parenthesi inclusis, ut  
*ita dicam*, in textu 2. F. 26. §. *Domino*, cum JCtus Feudista  
ibi ait: *Domino committente feloniam (ut ita dicam) per*  
*quam Vasallus amitteret feudum, si eam committeret, quid ob*  
*tinere debeat? de consuetudine queritur: & respondetur pre*  
*prietatem feudi ad Vasallum pertinere, sive peccaverit in Va*  
*sallum, sive alium, Attamen verba ista, ut ita dicam, non id,*  
*sed hoc saltim insinuant, quod vocabulum istud, sive de*  
*Domini, sive de Vasalli culpa accipiatur, non satis tersum*  
*ac latinum, sed barbarum aut peregrinum, aut ut Cujacius*  
*2. F. 1. loquitur, militare sit, quo sensu quoque in Cujacia*  
*na Editione in textu 2. F. 24. §. 2. vers. porrò verbis: Si Do*  
*minum assalierit eadem his formalibus, ut ita loquar, subjiciuntur.* Jacob. Alvorottus *ad d. text. 2. F. 24. §. porrò & 2.*  
*F. 26. §. Domino.* Bitsch. *ad d. text. 2. F. 26.* Indubium ete  
nim est feudi constituti formam essentialiem in hoc consi  
stere, quod rei in feudum concessæ Dominium directum  
penes concedentem remaneat, utile vero ad accipientem  
Vasallum transcat, ita, ut alter alteri ejus ratione ad fidem

præstandam obligatus sit, juxta illud Germanorum, **getreuer Herr/ getreuer Knecht.** 2. F. 6. Mutua & reciproca ergo Domini & Vasalli fides sibi invicem ratione illius rei in accipientem quoad utile dominium, retento penes se directo, translatæ præstanta, feudi constituti forma essentia-  
 tialis est, ex communi Doctorum sententia per 2. F. 3. 6. 2.  
 F. 23. 2. F. 47. cap. 14. x. de jurejur. hincque Vasallus Domi-  
 num in Conjugem, h. e. communi & reciproca fidei vin-  
 culo sibi conjunctum habere dicitur. 2. F. 58. pr. nec ad-  
 mittenda illorum sententia, qui fidem dominicanam non in-  
 gredi feudi essentiam, sed eam modò consequi statuunt.  
 vid. Struv. S. J. F. c. 2. th. 5. Rosenthal. cap. 1. concl. 2. num. 9.  
 æquo enim animo perpendimus, mutuam seu reciprocam  
 fidem à Domino & Vasallo omnino ad Essentiam feudi  
 exigi. dd. text. & relata esse Senioris seu Domini ac Vasalli  
 fidem individuo nexus conjuncta, quorum ea est natura &  
 indeoles, ut posito & debito uno, ponatur ac debeatur sta-  
 tim qq. alterum, eaque ex causa neutrum sine altero prius  
 posterius oriri, vivere, mori; Quicquid igitur vel ab hoc,  
 vel ab illo contra illam mutuam sibi intuitu rei in feudum  
 datæ ac acceptæ invicem debitam fidem sit, omneque ei,  
 tam à Domino, quam a Vasallo admissū, contrariū factū ju-  
 re feudali Longob. **FELONIA** appellazione venit, quod  
 proinde nomen æquè propriè de Domino, quam Vasallo, fi-  
 dei suæ alteri debitæ contraveniente prædicatur, & eo re-  
 spectuambo quoad feloniam ad paria judicari dicuntur. 2.  
 F. 47.

III.

Ac licet fides Dominica & Vasallatica pluribus mo-  
 dis differant, primò nempe quoad causam efficientem  
 propinquam, ceu qua ratione illius est ipsum Jus feudale.  
 2. F. 26. §. **Domino.** 47. & 58. Knipschild. *de oblig. Domi-  
 ni. & Vasall. p. 1. qu. 1. n. 49.* ratione hujus factum hominis,  
 sive pactum, quo Vasallus sese Domino fidelēm fore regu-  
 lariter

lariter quidem juratò promittit, & id recusans feudum haud  
 accipit 2. F. 3. 4. 5. seqq. 2. F. 24. pr. quod Dominus econtrà  
 Vasallo non facit. Rittershus. part. 1. cap. 10. qu. 12. Rosenthal.  
 cap. 6. concl. 86. num. 1. Gothofred. Antoni *diss. feud.*  
 7. th. 1. lit. b. Jacobus Alvarottus ad 2. F. 6. num. 7. Knipschild.  
 d. l. num. 48. seqq. qui omnes testantur, Dominum  
 feudi de generali consuetudine Vasallo minimè jurare fi-  
 delitatem. Cui asserto quamvis contradicat Glossa ad 2.  
 F. 55. §. 2. versic. illud. sub fin. illudque certo modo limitet  
 Jo. Petrus Fontanellus *de pactis nuptial. clausul. 4. gloss. 10.*  
 part. 1. num. 35. nim. quod dominus nihilominus de tuen-  
 dis & conservandis privilegiis, juribus, usibus & consuetudi-  
 nibus Vasallorum præstare teneatur, quemadmodum Imper-  
 tor noster de confirmandis & custodiendis Statuū juribus  
 & privilegiis se obligat in jurata sua Capitulatione, ut vide-  
 rest ex Capitul. Leopoldi & Josephi art. 3. Caroli VI. art. 1.  
 attamen Glossæ illius contradic̄tio nullius est momenti, &  
 Fontanelli limitatio planè aliena, nec de regula est. Con-  
 tra nihil obstat aut impedimento est, quominus ut pacto,  
 sic & consuetudine induci possit, ut nec Vasallus fidem ju-  
 rare cogatur, nihilominus ad eam tamen perinde obli-  
 getur, ac si illam solenniter juraslet. 2. F. 3. 24. 40. 70. arg.  
 cap. 14. X. de jurejur. Rosenthal. cap. 2. concl. 60. 66. Kohl.  
 de servit. cap. 3. num. 51. ibique allegati. Secundo ma-  
 teria seu capitibus fidelitatis, alii nomine formæ effere so-  
 lent. 2. F. 6. de forma fidelit. & 7. de nova forma fidelit. Et  
 quanquam ad eadem sex capita vasallo 2. F. 6. (qui tex-  
 tus canonizatus est. c. 18. c. 22. q. 5.) præscripta, e contra  
 quoque Dominum Vasallo teneri velint Frider. Schenck  
 Lib. Baro de Tautenberg, aliquique interpretes ad d. text.  
 Afflict. dec. 265. num. 3. 4. Knipschild. d. qu. 1. num. 50.  
 Attramen sine dubio nimis generalis est hæc assertio & do-  
 ctrina

Strina, judice Eybem in Elect. Jur. Feud. c. 11. n. 10. & saltem reverentia & obsequii vinculis Dominus eximendus. Knipschild. d. l. n. 54. Tertiò Effectu. Fidei enim obligatio ex parte Domini tam stricta & arcta non est, quam ex parte Vasalli 2. F. 6. §. Dominus. ex cuius postremis verbis ita colligit Joh. Andræ ad c. 1. X. de Feud. Vasallus offendens Dominum dicitur perfidus i. e. proditor perjurus **treulos / meinaydig /** Dominus autem Vasallum offendens non dicitur proditor, nec perjurus, sed malæ fidei, **untren / unbeständig /** quia non servat id, quod tacite censetur promisile, Knipschild d. l. num. 60. 61. Et communis fere Feudistarum conclusio est, laxiorem esse Domini obligationem erga Vasallum, quam Vasalli erga Dominum. Knipschild. d. l. n. 64. Ex his tamen differentiis nequaquam conficitur, personæ Domini fidei suæ contravenienti impropriè & abusivè tantum feloniaz commissione imputari, sed factum Domini ipsius obligatiōni ac fidei contrarium recte & proprie Felonia perinde appellatur, ac factum tale à Vasallo admissum.

IV.

Dicimus hinc hanc Feloniā Domini esse delictum feudale, quo Dominus Vasallum & personas ei intimè conjunctas dolo aut lata culpa contra fidem ex tenore Juris Feudalis debitam lädit & offendit, ac propterea regulariter dominii sui directi jacturam patitur. Diximus *delictum feudale*: Sic enim potius, quam per crimen cum Schraderop. 2. Part. 9. princip. sect. 6. qu. 17. n. 33. definire voluimus, cum crimen tunc saltem appellari possit propriè, si in id incidat, quod de jure civili communi est crimen, puta in adulterium, homicidium; si Dominus Vasallum intra annum & diem, investituræ renovationem instantius petentem malitiosè & sine justa causa investire differat, si feudum

dum dissipet aut aliter abutatur suo jure proprietatis, non potest crimen proprie dici. Rosenthal. cap. 10. pr. in fin. Diximus porro: *Dolo aut lata culpa* delictum hoc admitti, ita enim 2. F. 24. §. 2. expresse hæc verba reperiuntur: *dolo vel negligentia sua vel fraude celaverit*, & 1. F. 7. culpa quoque mentio fit, cuius nomine ibi culpam latam intelligimus. l. 213. §. 2. & l. 226. ff. de V. S. sicut & 2. F. 55. pr. circa fin. per incuriam vel negligentiam, in perenda intra annum & diem investituræ renovatione admissam, ob quam Vasallus ibi feudi jure cadere dicitur, et si minor sit 25. annis, modo 14. annis major existat. Nullique inde dubitamus Feloniam tam à parte Domini, quam à parte Vasalli etiam lata culpa, non verò levi, multò minus levissima committi. Rosenthal. cap. 10. concl. 12. Niellius *Disp. Feud.* 8. th. 1. lit. D. unde paſſim in jure feudal. Felonia & culpa synonimice usurpantur. 1. F. 17. 21. 22. 2. F. 26. §. *feudum*. 2. F. 78. hincque actionem inde proficisci tantum civilem, non verò criminalem, argumento eorum, quæ tradit Schrader p. 2. part. 9. princip. sect. 12. ex assignata ex Baldo in c. 1. ratione, quia non agitur ad proprietatem fisco, sed parti agenti applicandam, ubi vero quis non publicum, sed privatum suum interesse prosequitur, & quod actione institutâ petit, parti, non fisco adjudicatur, evidens id & indubitatum indicium est, actionem intentatam non criminalem, sed civilem esse. §. 10. J. de injur. l. 28. §. 15. ff. de pæn. B.D. Frommann. *Disp. de divis. act. cap. 10.* §. 2. & *cap. 11. num. 2.* Et propterea quoque Dominum feudi ob feloniam ut tallem commissam non infamem fieri, nisi causa propter quam condemnatur talis sit, quæ infamiam post se trahat. l. 22. ff. de his qui notant. infam. Reliqua definitionis verba ex subsequentibus lucem fœnerabuntur.

B

V. Ut

## V.

Ut autem certâ regulâ comprehendi aut definiti vix potest, quot modis à Vasallo feloniam perpetretur, dum si-  
cuti omne jus, ita quoque hoc quoad feloniam commis-  
sam, in causa, h. e. circumstantiis factum comitantibus  
positum est, arg. l. 52. §. 2. ad L. Aquil. 2. F. 24. §. 2. nec o-  
mnes ab eo committendæ felonie species, sed quædam  
tantum Jure Feudali expressæ d. text. ad quas prudens Ju-  
dex, pro dexteritate & solertia sua, alias emergentes aesti-  
mare ac metiri possit arg. l. 12. ff. de LL. j. 1. F. 17. ibi: *Vel*  
*similes culpas commiserint.* Duaren. de feud. c. 14. n. 25. Com-  
muniter tamen à Vasallo dupliciter feloniam perpetrari dici-  
tur, vel committendo nim., vel omittendo, & utraq; con-  
cernit vel personam, vel rem, Personam vel Domini vel ex-  
tranci. Domini rursus aut directo, aut per indirectum &  
consequentiam. Ita pariter se res habet cum feloniam Domi-  
ni, hæc quibus ex causis inducatur, specialiter jure feudal-  
i non est determinatum, nec omnes ejus species vel causæ  
certa aliqua lege comprehensa ac definitæ, sed 2. F. 26. §. Do-  
mino &c. modò generalis hæc traditur regula: quod Do-  
minus Feloniæ reus fiat, si id agit contra Vasallum, quod,  
si Vasallus in se ageret, Felonia esset, & ex quibus causis  
Vasallus jus feudi, sive dominium suum utile, quod in re  
jure feudi sibi concessa nactus est, amittit, ex iis iem (fere)  
etiam causis Dominus felonie reus factus proprietatem  
vel directum rei feudalism dominium, (quod Cujac. domi-  
nationem feudi, Hottomanus Jus Patronatus, Zafius do-  
minium superioris appellant, ac in vernacula das obere oder  
in hrere Eigenthüm audit) amittat, idq; Vasallo accedat.  
Cum quo textu concordat alter principalis locus 2. F. 47.  
ubi librorum Feud. Compilator insinuat, magnam olim  
nter Prudentes ea de re fuisse controversiam, aliosque sta-  
tuiss.

tutie ex omni felonie Dominum perinde proprietate sua privandum esse, quâ Vasallus feudo suo cadit; alios autem id tantum in magna felonie admisisse; alios denique in nulla id concedere voluisse, sibi verò priorem placuisse, quod nimurum ex omni felonie, ex qua Vasallus feudo ac utili suo dominio privatur, privetur etiam Dominus directo suo dominio, idque sive Domino fidelitas à Vasallo jurata sit, sive non. Unde nihil prohibet, feloniam hanc Domini eodem modo dividere, quod vel in commitrendo vel in omitendo consistat; & vel personam Vasalli, aut directo, aut per consequentiam, si nim. in personis potestati vel affectu ipsius subjectis offendatur, vel extraneū ipso non coniunctum respiciat, aut ipsum prædium vel territorium in feudum concessum attingat.

### VI.

Directo in personam Vasalli felonie committendo patratur, si Dominus ipsum Vasallum suum armis, vel veneno, vel quoconque alio modo occiderit, aut insidias vietæ ejus struxerit, imo etiam si eum tantum aggressus fuerit, vulneraverit vel pulsaverit, & s. per se id fecerit, sive per alium. arg. 2. F. 24. vers. Porro. 2. F. 51. §. Si voluerit. junct. 2. F. 6. 7. 10. arg. l. 1. §. 12. ff. de vi armat. l. 11. pr. §. 3. ff. de injur. Rosenthal. c. 21. concl. 19. n. 4. Rittershus. l. 2. c. 7. q. 2. Ast si cum ob tutelam propriæ salutis, illi parcere, aliterque periculum effugere non valens, occiderit, vel in adulterio uxoris suæ deprehensum interemerit, jure excusatus erit, nec ob id dominio suo directo privari poterit l. 3. ff. de justit. & jur. l. 3. C. ad L. Cor. de sic. l. 45. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. arg. l. 38. §. 8. ff. ad Leg. Jul. de adult. Et eam in rem claram habemus Constitutionem Ottonis I. Imperatoris ap. Goldastum Tom. 3. Conflit. Imp. pag. 304. ubi ita: *Vasallus si interficit Dominum suum, in vita, honore & bonis, cum quibus*

bus ab ipso fuerit infeudatus, condemnetur. Idem etiam de Domino censendum est, si occidat Vasallum. Et superior Dominus sic occisi Vasalli natos ad predictum Dominum cum investitura dicti feudi dirigere non valebit, ut sibi servitio adstringantur, nisi forte id ignoranter, vel causa necessaria defensionis accidisse, prout juris fuerit, super mortuum comprobetur. Cum qua consonat Jus Prov. Saxon. lib. 3. art. 83. ibi: **D**assellbig veriviret auch der Herr / ob er seinen Mann tödet. & art. 78. ducto inde argumento à majori ad minus verb: **W**undet ein Mann seinen Herrn / oder schlägt ihn zu tode in Nothwehr seines Leibes / er thut daran wider seine Treue nicht / ob die Nothwehr mit Recht bewiesen wird &c. Idem portò contingit, si Dominus Vasallo suo graves atroces & inhonestas injurias re, scriptis vel verbis intulerit. Vultej. de feud. lib. 1. c. 11. n. 105. Bocer. de jure Domini & Vasalli lib. 2. cap. 5. n. 14. sicque se consultum respondisse testatur Rosenthal. cap. 11. concl. 19. n. 4. Si ipsum in acie, pugna vel alio vitæ discrimine constitutum à morte non liberaverit, cum saluti ipsius succurrere potuisse. 1. F. 5. 21. 2. F. 24. junct. ~ F. 26. §. Domino &c. & 2. F. 47. Bocer. d. l. n. 8. 9. Si Dominus Vasalli securitatem non procuraverit, sed secreta ipsius fidei suæ concredita, non ex simplicitate vel inadvertentia saltem, verum malitiose in damnum & perniciem Vasalli detexerit, & alii revealaverit, licet intentioni eventus non responderit, nec quicquam domini ei exinde acciderit. 1. F. 17. 2. F. 5. 6. 7. junct. 2. F. 26. §. Domino. 2. F. 47. Vultej. d. c. 11. n. 105. Bocer. d. l. n. 10. Knipischild. d. q. 2. n. 14. Si Dominus Vasallum de capitali criminis, et si vero, excepto nefando perduelionis crimine, detulerit, vel accusaverit, aut testimonium in causa tali contra eum sponte dixerit. 2. F. 24. §. 2. vers. istem si delator &c. 2. F. 31. §. 1. vers. Similiter &c. junct. d. 2. F. 26.

2. F. 26. §. *Dominus &c.* & 2. F. 47. *Knipschild. d. l. num. 9. 11.*  
 Si amicitiam cum inimicis Vasalli in perniciem & noxam  
 ejus inierit, aut hostibus ejus quounque modo subsidia  
 praestiterit. 2. F. 7. vers. & si scivero &c. 2. F. 57. j. 2. F. 26;  
 §. *Dominus.* 2. F. 47. *Vultej. d. l. Wehner. Conf. Francov. 29.*  
*n. 3. Knipschild. d. l. n. 23. 24. Rosenthal. c. 10. concl. 19. n. 1.*  
 & concl. 37. n. 30. *Schrader. p. 9. c. 5. n. 32. 33.* Si Dominus  
 Vasallum feudi possessione propria auctoritate sine causâ  
 cognitione spoliaverit. *Rittershus. l. 2. c. 7. q. 2. Knipschild.*  
*d. l. num. 40.* Non verò feloniae reus fit Dominus, si contra  
 Vasallum experientur actione famam ejus quodammodo sug-  
 gilante. arg. l. 3. C. de arbitr. Matth. de Afflict. dec. 26 s.

## VII.

Per indirectum & consequentiam in personis sibi in-  
 time conjunctis & potestati vel singulari ipsius affectioni  
 subjectis Vasallus à Domino lèditur contra debitam sibi  
 fidem, atque ita ab eo Felonia committitur Jure feudalí  
 dominii directi privatione digna, si Dominus Vasalli uxori-  
 rem vel sponsam adulteraverit, seu ut Jus feudale loqui-  
 tur, Vasallum cucurbitaverit, vel id conatus fuerit, hoc est,  
 ipsum per commissum aut attentatum cum uxore ejus  
 adulterium infamaverit, nam cucurbita hic est vir uxoris  
 adulterio infamatus, qui alias cornutus, corniger audit,  
 quia subsestorem matrimonii sui patitur, descendens à bar-  
 barbará voce *Corbita*, quæ in Longobardicis legibus pro stu-  
 pro, adulterio vel infamia inde orta usurpatur. *Hotoman-*  
*nus in Lex. verb. feud. voc. cucurbitare, Reusner Diff. Feud.*  
*9. th. 31. Casp. Bitsch. ad 1. F. 5. pag. 86. seqq. Gothofr. Ni-*  
*col. Schleenstein Diff. de Felonia Cucurbationis.* item si  
 Vasalli filiam, neptem ex filio, nurum aut sororem innu-  
 ptam in ipsius Vasalli domo existentem stupraverit. 1. F. 5.  
 17. 21. 2. F. 38. 57. j. 2. F. 6. 26. §. *Dominus &c.* 2. F. 47. *Ritters-*

huf. d. q. 2. Vultej. d. l. Rosenthal. cap. 11. concl. 19. num. 5.  
 Idemque est, si non ipsemet Dominus quidem personas  
 illas vitiaverit, alteri tamen id facienti opem tulerit v. gr.  
 si proxeneta seu internuncius inter uxorem filiam Vasalli  
 & adulterum vel stupratorem fuerit; sicut enim sublatis re-  
 ceptatoribus & latronum & furum cohors deficeret. l. 1. ff.  
 de receptator. ita nec adulteri & stupratores tam crebri fo-  
 rent, aut certe non diu laterent, si non essent lenones &  
 sequestri Veneris atque emissarii, quos eleganter quidam  
 accipitres mulierum appellarent. Rittershuf. l. 2. c. 5. q. 97.  
 Non autem privandus est Dominus dominio suo directo  
 ex hac causa, i. si Vasallus ante cum uxore, vel sponsa, nu-  
 ruque Domini adulterium commiserit, vel ipsius Domini  
 filiae, nepti ex filio, aut sorori adhuc innuptae inque domo  
 illius commoranti stuprum intulerit, tum enim paria de-  
 dicta mutua compensatione tolluntur. l. 36. de dolo mal. l.  
 39. l. 47. ff. de solut. matrim. Rosenthal. cap. 10. concl. 29 n.  
 44. & seqq. (2.) Si prædictæ personæ meretriciam du-  
 cant vitam, & pudorem vulgo prostituant, ex quorundam  
 sententia, ea ex ratione, quod in metretricem nec adulte-  
 rii nec stupri crimen committatur. l. 22. l. 29. C. ad Leg. Jul.  
 de adulter. sed vid. B. D. Lauterbach in Colleg. Pandect. ad  
 d. tit. deff. de adulter. th. 7. Rhet. in Comm. ad Jus Feud. com-  
 mun. 1. F. 5. pag. 237. Schleenstein d. Disp. de Felon. cucurbit.  
 m. 2. th. 24.

## VIII.

Omitendo Dominus in Vasallum peccat & se felo-  
 niæ reum facit, si Vasallum humiliiter & devote intra an-  
 num & diem à tempore scientiæ Domini vel Vasalli mu-  
 tati instantius renovationem investituræ potenter sine  
 justa causa investire detrectaverit, in eaque recusatione per  
 annum & diem perseveraverit. Utī enim intra dictum  
 tempus Vasallus renovationem investituræ sub jaictura feu-  
 di

di omnino debito modo petere debet, sic & Dominus eadem petenti intra idem tempus concedere obstrictus est, quod si sine causa facere renuerit, perinde ut negligens Vasallus feloniam reus sit, & ob hanc feloniam speciem proprietatis jure cadit, ex communi Dd. sententia, de qua testatur Guido Papæ Dec. 168. num. 2. Jul. Clarus lib. 4. recept. sent. §. feudum. q. 49. n. 7. Qui tamen dicit, sibi eam nimis rigorosam videri, tanto magis, cum pena privationis secundum communis juris regulas non debeat imponi, nisi in casibus à jure expressis. l. 19 ff. de liber. & posthum. l. pen. ff. de pen. nullibi autem in Jure Feudali cautum sit, Domini num ob non factam intra legitimum tempus investituram proprietate privandum esse. Cui rationi & hæc accedat, quod renovatio hæc in favorem Domini potissimum introducta sit, qui proinde non puniri posse videtur, ob id, quod jure suo non sit usus. arg. l. 51. C. de Episc. & Cler. l. pen. C. de paet. ex quibus rationibus negativam questionis hujus quoque sustinuerunt Frid. Schenk. Lib. Baro de Tutenberg ad pr. 2. F. 24. n. 7. vers. nono excipitur, Laurent. Sylvanus de feudi recognit. qu. 30. Communiori autem Dd. calculo probatae affirmativa, quod nimurum Dominus etiam jus suum in feudo perdat, si intra legitimum tempus Vasallo renovationem petenti, malitiosa, & ex mera contumacia sine justa causa, eandem deneget, ex ea ratio ne, quod dum Jus Feudale Vasallum ad petendam investituræ renovationem intra ptaefinitum tempus sub pena amissionis feudi adstringit, l. F. 22. 2. F. 24. pr. 40. ss. pr. in fin. & Dominum itidem ad faciendam & impertiendam investituram sub eadem pena amissionis juris sui adstringere voluisse censendum ac præsumendum sit, cum Dominum & Vasallum in iis, quæ nexum feudalem respiciunt, ad paria obliget. 2. F. 6. 2. F. 26. §. Domino &c. 2. F. 47 sub scribere

scribere minimè veretur Ludwell. tr. de renovat. invest. cap. ult. pag. 392. seq. ubi ad contraria responderet, nec non Joh. Frid. Rhetius ad 1. F. 22. p. 457. qui illi, Ludwello nempe, saltem contrarius est ratione temporis, quod Ludwell vult computari à morte Vasalli vel Domini, Rhetius vero à die peritæ à Vasallo renovationis investituræ cum Rosenthalio cap. 6. concl. 60. n. 9. quorum sententiam etiam probat Hornius in Jurisprud. Fend. cap. 17. th. 20. Bocer. de invest. cap. ult. n. 11. Schrader. p. 6. c. 7. n. 3. Vultej. lib. 1. c. 11. n. 105. Zafius part. 10. num. 81. Sonsbec. part. 12. n. 4. Jac. Alvarott. ad ix. 1. F. 22. n. 14. & 2. F. 24. pr. n. 11. Et juxta hanc sententiam Ampliss. Facultatis Collegium Illustris hujus Eberhardinæ superiori anno respondit,

## IX.

Porrò ita reus fit feloniac Dominus, si decenter requisitus Vasallo de re feudali agenti vel convento iustitiam facere recuset, aut eam æquo diutius protrahat, vel dolo aut lata culpa male ac inique administret. 2. F. 24. §. 2. ibi: *Si quis suo Domino iustitiam facere noluerit, feodium, quod tenebat, perderi, junct. 2. F. 6. in fin. 2. F. 26. §. Domino. 2. F. 47. Alvarott. ad d. text. 2. F. 24. n. 1. 2. Vultej. d. c. 11. n. 105. Bocer. de iure dom. lib. 2. c. 5. n. 12. 13. Rosenthal. c. 10. concl. 26. n. 39. & ibi in not. lit. gg. alleg. Schrader p. 2. sect. 4. n. 156. seq. & n. 204. Knipschild. q. 2. n. 19. item si Dominus sciens grande dispensandum & periculum vitæ aut fortunarum Vasallo imminere, eum non præmonuerit aut certioraverit, ut sibi à malo præcaveret. 2. F. 7. & 24. §. 2. vers. *Præterea &c. junct. d. 2. F. 6. in fin. 2. F. 26. §. Domino. 2. F. 47. Bocer. d. c. 5. num. 17. Vultej. d. c. 11. n. 105. Rittershus. 1. 2. c. 7. q. 2.* Numne ita quoque Dominus reus fit feloniac, si Vasallum carcere inclusum aut captum, cum posset, non liberaverit aut redemerit? ita quidem vult Rittershusius 1. 2. c. 7. qu. 2. Knipschild*

schild. de Obligat. Dom. & Vasall. q. 2 n. 44. Vultej. cap. 11.  
n. 105. sed nos hic merito subsistimus, perpendentes, quod  
nec Vasallus ad id simpliciter ac generaliter sub iactura  
feudi adstrictus dici queat, ut Dominum carceri inclusum  
aut captum redimat. Si enim ob debita seu aë alienum,  
vel delictum Dominus carceri inclusus, illic se bonis ce-  
dendo liberare valet, non ergo Vasallus ipsum, pro eo sol-  
vendo vel fidejubendo, liberare tenetur; hic si obligatio  
vasallitica eò usque extendi vellet, ea cum bonis moribus  
& utilitate publica pugnaret, cum publice intersit, delicta  
non remanere impunita l. 51. ff. ad L. Aquil. Si Dominus  
autem ab hostibus etiam in pugna iniuste mota captus,  
Vasallus quidem ei fidejubendo vel lytrum pro eo solven-  
do subvenire debet 2. I. 24. §. 2. vers. vel si cognoverit Do-  
minum inclusum. Redemptio tamen illa à Vasallo saltem  
in subsidium exigitur & eo casu, quo ex bonis captivi ly-  
trum non potest commode redigi, 2. lytri solutio servitiis  
alias Domino præstandis vel aliis oneribus feudo inhæ-  
rentibus respondere, & loco servitiorum vel aliarum præ-  
stationum cedere debet. Struv. cap. 11. thes. 5. num. 14.  
Ludwell. Synops. pag. 300. Ad majus enim Vasallus vix  
censetur obstrictus, nisi ex naturali illa obligatione,  
qua quilibet beneficiis devinctus ad gratitudinem sive à  
hæres obligatus. Cum autem Dominus Vasallo ad nulla  
servitia vel alias præstationes obligatus sit, nec beneficium  
à Vasallo acceperit, sed ei dedit, vix dici poterit ipsum se  
feloniæ reum facere, si Vasallum in vincula conjectum aut  
captum non liberaverit vel redemerit, & propterea domi-  
nio suo directo privandum esse.

X.

Circa res vel ipsum feudum Vasallo concessum cul-  
pose agit Dominus & sic feloniam committit, si insultum  
C fece-

fecerit in castrum vel arcem Vasalli, illudque obsederit  
 aut oppugnaverit, vel alium locum ad Vasallum pertinen-  
 tem invaserit, sive ibi sit, sive non sit Vasallus. arg. 1. F. 5.  
*pr. vers. Similiter &c.* ibi Alvarott. 2. F. 24. §. 2. *vers. Porro*  
*&c.* Si Dominus feudum dissipet vel insigne detrimentum  
 ei inferat, aut aliter jure suo proprietatis abutatur, Vasalli  
 proventus obliget, in subditos feudales nimium saeviat,  
 eos exactioribus, servitiis, oneribus insolitis & indebitis  
 oneret, premat, exoriet, aut aliter male & acerbe nimis  
 tractet. Schenck Baro de Tautenberg *tit. de Pace tenenda*  
*2. F. 27. Cap. 1. Rep. 53. n. 12.* Si Dominus feudum aut ejus  
 conditionem, ac Vasallum, in judicio aut extra illud, dolo-  
 se abneget. 2. F. 26. §. *Vasallus.* 2. F. 34. §. *ult. junct.* 2. F. 26.  
*§. Domino.* 2. F. 47. Rosenthal. *cap. 10. concl. 32. in fin.* Molin.  
*ad Consuet. Parif. tit. I. §. 30. n. 167.* qui hoc ex communi  
 Dd. sententia affirmat, addit autem Rosenthal *all. loco*, se  
 hanc abnegationem nunquam vidisse, nisi in casu, quo Do-  
 minus Vasallo de evictione tenebatur. Si Dominus sine  
 consensu Vasalli proprietatem seu dominium directum si-  
 ne tota curia, seu territorio & ditione, unde feudum pen-  
 det, alienet. Ut enim Vasallus non potest sine consensu  
 Domini alienare feudum, seu utile, quod in eo habet, do-  
 minium 2. F. 9. §2. ss. ita nec Dominus de jure feudali  
 Longobardico communi, *Constitut. Conradi II. & Frider.*  
*II. Impp. inducto & firmato*, in oppositione ad singularem  
 contrariam consuetudinem Mediolanensem sic dicto, si-  
 ne voluntate Vasalli dominationem feudi sive directum  
 suum dominium alienare valet 2. F. 34. §. 1. & ss. §.  
*Firmiter. in fin.* qua in re Dominus feudi convenit cum  
 marito, qui licet rerum in dotem sibi datarum Dominus  
 sit, non tamen habet facultatem res immobiles in dotem  
 sibi datas alienandi, ceu quæ ipsi ademta per legem Julianam

t. t. ff. de fundo dotali. Differt autem à proprietario rei usufructuaria, qui inconsulto fructuario proprietatem rei usufructuaria recte vendit. l. 17. §. pen. de usufr. l. 44. §. 5. ff. de Usucap. Et hoc summa æquiratis ratione interdictum Domino, ne, ut sibi invito non vult alium obrudi Vasallum, sic major ipsi sit licentia Vasallo invito novum obrudendi Dominum, in cuius personam, immo familiam nunquam consensit. Per regulam igitur jure feudali communis fundatam, jure Alemannico cap. 89. quoque probatum, Dominus directum suum dominium Vasallis invitatis ac contradicentibus non potest in alium alienare, nec eos cogere, ut in ejusmodi alienationem consentiant, cuius regulæ variae ampliations & limitationes reperiuntur apud Rittershus. lib. 2. c. 4. quib. 3. 4. 5. Schilte ad d. cap. 89. Jur. feud. Alemann. ubi duo notabilia adducit exempla, quorum alterum in Gallia, cuius ex Molinæo ad Consuetud. Paris. etiam meminit Bitsch. ad 2. F. 34. §. 1. pag. 601. alterum in Serenissima Domo Saxonica Electorali modo A. 1660. contigit, ita, ut facta Vasallorum reclamantium cessio tandem A. 1681. iterum cassata fuerit. Cæterum, an tantum ejusmodi alienatio dominii directi sine tota curia à Domino sine assensu Vasalli facta irrita & nulla sit? num verò etiam eapropter jure suo proprietatis privari possit? acriter inter Dd. disceptatur, Prius volunt Wesenb. de feud. cap. 10. n. 9. Sonsbec. p. 13. n. 80. seq. Struv. c. 13. th. 9. num. 14. Schenck Baro de Tautenb. ad 2. F. 34. §. ex eadem. (quem male pro contraria sententia adducit Knipschild qu. 2. n. 46.) B. Dn. D. Grav. disp. de felonie th. 35. Posterior probant Schraderus p. 8. c. 1. n. 65. Rosenthal. cap. 9. conc. 62. n. 11. cui per errorem à Struvio adversa sententia imputatur Mynsing. Cent. IV. obs. 91. n. 9. Ludwell. cap. 18. p. 379. sqq. Schnobel disp. feud. 9. th. 11. Knipschild. d. l. Schulz. c. 11.

n. 57. Rittershus. lib. 2. cap. 4. qu. 5. & lib. 2. c. 7. qu. 5. ubi  
& in seq. questione limitationes quasdam subjicit. B. Dn.  
Ericus Mauritus dec. 14. posit. 7. ubi hanc sententiam cum  
Struvio non tantum communem, sed & juris feudalis  
analogiae convenientiorem esse dicit, & inde ipse ean-  
dem amplexus est, & nos haecenus in docendo secuti  
fuimus. Ex his similibusque causis à Domino feloniam in  
Vafallum committitur.

## XI.

Quibus delictis in extraneum & alium, quam Vafal-  
lum, & prædictas ipsi conjunctas personas commissis Do-  
minus se indignum reddat jure suo dominico, tempore  
exclusi non possumus, hac vice accuratius examinare, ob  
Doctorum dissensiones, sed in aliam occasionem reser-  
vare cogimur. Id modò anneximus, Dominum perinde  
ut Vafallum ob commissam feloniam regulariter non ipso  
jure, sed postquam, instituto processu, ejus legitimè con-  
victus, causaque sufficenter cognita fuerit, per senten-  
tiām judicis, non saltim declaratoria, ceu qua etiam re-  
quiritur, ubi ipso jure quis privatus sibi competente jure,  
sed regulariter privatoriam (qua à declaratoria sic differt,  
quod privatoria ex nunc in futurum, declaratoria in præ-  
teritum operetur, privatoria dejiciat, declaratoria ceci-  
disse declaret Dominum jure suo, formula illius hac exi-  
stente: *Das Beklagter das in actis gemeldte Lehens-  
Eigenthum verirrect/ desselben zu priviren und zu ent-  
schen sey / als wir ihn denn dessen heimt priviren und  
entschen/ formula declaratoria vero hac: Das das ge-  
klagte Lehens-Eigenthum dem Lehmann heimgesaf-  
fen sey) jure suo dominico exui. Alvarott. ad 2. F. 26. §.  
Domino. & ad text. 2. F. 47. num. 2. Frider. Schenck Baro  
ad eundem text. 2. F. 26. §. Domino. num. 1. Laurent. Sylva-  
nus*

nus de recognit. feud. qu. 31. Rosenthal. cap. 11. concl. 19.  
 n. 8. 9. 10. Usque ad pronunciatam sententiam ergo Do-  
 minus ex capite felonie conventus in possessione relin-  
 quendus atque manutenenendus, nec propter felonie exce-  
 ptionem in possessione dejiciendus, si praesertim illa dubia  
 sit. Mev. part. 6. dec. 11. Unde porrò sua sponte fluit,  
 quod si Vasallus à Domino per feloniam læsus ac offen-  
 sus in vita sua non egerit ad privationem dominii directi,  
 post mortem eius successores illius non amplius sint ad-  
 mittendi, eademque ratione nec Vasallus læsus contra  
 Domini offendentis heredem asturus audiendus est, ut  
 & sic se respondisse testatur Rosenthal. cap. 11. concl. 19.  
 num. 12. 13. 14. 15. ubi & ipse subjicit, dispositionem text.  
 2. F. 26. §. Domino & 2. F. 47. locum non habere in Impe-  
 ratore & Rege, sed saltē in inferiore Domino Vasalli,  
 superiori habente, ex August. Berojo vol. 1. consil 30. qui  
 idem quoque asserit de Papa & quolibet Prælato Ecclesiæ,  
 ut nec hi offendentes Vasallum Ecclesiæ faciant, ut ob  
 feloniam Prælati & Pontificis Ecclesia feudi proprietate  
 privanda sit, adeoque fallat illa doctrina in Feudo Eccle-  
 siastico, procul dubio exinde, quod Prælati feuda, quæ  
 ratione Ecclesiæ habent, ipsi quidem amittant, sed non  
 Ecclesiæ, hinc post illorum mortem ad successorem rever-  
 tantur. 2. F. 40. ibi Alvarotti, Rosenthal. c. 10. concl. 3. & 4.

## X I.

Supereft ut vel verbo adhuc tangamus quæfionem:  
 Ad quem proprietas seu directum Dominium ob feloniam  
 à Domino commissam devolvatur? Dicimus autem, Vo-  
 minium feud. directum, si allodiale est, ob feloniam  
 domini ita deferrī Vasallo, ut hic feendum in posterum  
 libero ac allodiali jure teneat, sive feendum fuerit novum  
 sive antiquum, sive felonie fuerit commissa in Vasallum

sive in alium, modo delictum Vasallum per consequentiam tangat & oblique respiciat, *a. F. 26. §. Domino*, quod exemplis declarat Rosenthal. *cap. II. concl. 20. n. 13.* Dominium autem directum sic utili consolidatum & Vasallo acquisitum eidem saltem ad vitam cedit, postea una ad agnatos feudi successores devolvitur. *Idem ibid. n. 7.* Si Dominium feudi directum feudale sit, illud Domini delicto amissum quidem pariter Vasallo deferunt, ita, ut ille plane liber efficiatur, sed verius censet Rosenthal, *c. II. concl. 21.* quod Subvasallus à Domino suo immediato offensus non plane liber efficiatur, verum eximatur tantum ab obligatione, qua Domino delinquenti obstrictus erat. Ejus verò Domini jus Agnatis, vel his non existentibus, Domino directo superiori applicetur, ac illibatum maneat, Rosenthal. *cap. II. concl. 21.* Et coronidis loco monemus, nequaquam cendum, totum hoc jus in desuetudinem abiisse, sicque omnem laborem nostrum frustraneum esse. Nam et si non ita frequens, sed rarius sit, ut Dominus ob feloniam proprietate sua privetur, quam ut Vasallus feudo suo ob feloniam cadat, & Andr. Knichen de Vestitur. pact. p. 2. c. 5. num. 274. seqq. notet, se nunquam vidisse, hanc poenam privationis directi dominii interrogata, aut eo nomine actionem intentatam esse, quod Dominorum potentiae adscribit Rittershus. *I. 2. cap. 7. q. 1. add. Schenck Baro ad 2. F. 26. §. Domino* quod Bitschius *ibid.* accommodat illud Gallorum proverbium, quod Dominus feudi butiraceus devoret Vasallum etiam chalybeum. Non tamen deficient pro�us omnia exempla, sed adsunt omnino, quæ contranitentibus opponiqueant, vid. Bitsch. *d. 2. F. 26. §. Domino.* Everhard. *in loc. legal. à correlatis num. II. Dan. Moller. ad Constit. Elect.*

*Sax. Aug. p. I. c. 27. n. 6.*

*SOLI DEO GLORIA.*









Tübingen, Diss., 1710-13







1482.  
587.

DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE  
**FELONIA DOMINI,**

1713, 6.  
18

*Quam*  
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,

AUTORITATE ET CONSENSU

Amplissimi JCtorum Ordinis

IN PERANTIQUA ET ILLUSTRISSIMA EBERHARDINA,

*Præside*

**DN. GABRIELE SCHWEDERO,**

J. U. D. Sacri Cæsarei Palatii Comite, Serenissimi

Würtemb. Ducis Consiliario, Placitorum Feudalium &  
Juris publici Antecessore & Prosclore

Ordinario,

Domino Patrono & Socero, omni honoris & obsequii  
cultu venerando.

P R O

SUMMIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS  
in utroque jure ritè consequendis,

*ad d. Maii,*

IN AULA NOVA,  
Publicæ Eruditorum disquisitioni  
submitit

**PAULUS BURCKHARD HOSER, Stotg.**

T U B I N G E,  
Typis JOH. CUNRADI REISI.